

# Michał Czerenkiewicz

---

## De providentia in orbe terrarum malis adflicto a Seneca Philosopho depincta

---

Scripta Classica 6, 111-123

---

2009

Artykuł został opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

---

*Michał Czerenkiewicz*

*Universitas Varsoviensis*

## De providentia in orbe terrarum malis adflicto a Seneca Philosopho depincta\*

**Abstract:** In the work titled *De providentia* Lucilius, the addressee of *Epistulae morales* and *Naturales quaestiones*, is given the role of Seneca's interlocutor, although in fact the text is not a dialogue, but a monologue — the philosopher's conversation with himself is moulded in the shape of a Cynic or Stoic diatribe. The book was probably composed when Seneca removed himself from public life in the years 62—65 A.D. The main theme of the opusculum is why good people suffer from various inconveniences. Herein the philosopher uses words *providentia* and *deus* as synonyms. *Fortuna*, in his opinion, submitted to providence. *Fatum* in this work is both the force (the synonym of providentia) which governs the world, and a determined lifetime of people. Seneca affirms that providence is a divine force, but imputes to it explicit person's features.

**Key words:** Seneca, providence, Deus, dialogue, *De providentia*

**V**olterus putavit motum terrae, quo Ulisbona anno 1755 affecta est, documento esse, quod mundus sine dubio optimus non esset et Deus, magnus fabricator, hominibus operam non daret. Cicero in exordio librorum, qui *De natura deorum* inscribuntur, dixit quaestiones, quae ad naturam caelestium atque eorum erga nos homines animum pertinerent, esse maximi momenti et difficiles ad explicandum. In opere, quod supra nominavimus, Arpinas ait se fere idem sentire atque Stoici. Sed scimus illum oratorem saepissime in utramque partem disputavisse et ex philosophorum doctrina id, quod sibi probabile videretur, accepisse. Conicere ergo possumus Ciceronem de providentia nonnumquam dubitavisse, nam in libris

---

\* Gratias ago professoribus Universitatis Jagellonicae Cracoviensis, Dareo Brodka et Stanislawo Śnieżewski, qui mihi consilio opitulati sunt. Magdalenae Hładyszewska quoque, feminae in litteris Italicis versatae, gratiam debeo.

*De divinatione* Stoicos castigat<sup>1</sup>. Re vera Arpinas vestigia Academicorum, qui Carneadem sequebantur, premit. Lucius Annaeus Seneca, qui Zenonis sectatorum numero habetur, saepe tamen cum Platonis discipulis consentit. De se ipse ita scribit: *Disputare cum Socrate licet, dubitare cum Carneade, cum Epicuro quiescere, hominis naturam cum Stoicis vincere, cum Cynicis excedere* (*De brevitate vitae* XIV, 2). Capite 5 epistulae 16 ad Lucilium tria principia alternata, quibus mundus regitur, ab Seneca distincta esse videntur, scilicet fatum, divina providentia vel casus: *sive nos inexorabili lege fata constringunt, sive arbiter deus universi cuncta disposuit, sive casus res humanas sine ordine inpellit et iactat, philosophia nos tueri debet. Haec adhortabitur ut deo libenter pareamus, ut fortunae contumaciter; haec docebit ut deum sequaris, feras casum* (*Ep.* 16, 5). In providentia (quae Graece πρόνοια dicitur) describenda Seneca orthodoxum Stoicum se praebet, sed novo modo eam depingit<sup>2</sup>. In *Naturalium quaestionum* libro II contendit Deum simul fatum, naturam, providentiam et mundum dici posse<sup>3</sup>. Itaque Seneca suis in scriptis alternatim nominibus fati<sup>4</sup> et providentia utitur, cum de vi, qua mundus temperatur, dicit.

Seneca suis in litteris creberrime voce fortunae utitur. Fortunae nomini<sup>5</sup> apud auctores Romanos multae significationes insunt, vicinae vocibus *fors*, *casus*<sup>6</sup>, *sors*, *felicitas*, *infelicitas*, *situs*, *opes*, *dignitas*. Lucani patruus fortunam dupliciter intellegit. Primum, ea res, quae homines sua in vita praevidere non possunt, est. Illa

<sup>1</sup> Sed afferri oportet etiam e *Tusculanis disputationibus* placita (V 20, 57 ss.). Aurelius Augustinus in libris *De civitate Dei* inscriptis cum Cicerone dissentit (vide e.g. *Civ. Dei* V 9), sed Stoeae sectatoribus in vitis etiam reprehendit.

<sup>2</sup> G. Reale Italice ita explicat: „La Stoa piegherà, specie nell’ultima sua stagione, verso il teismo, pur senza sapervi giungere pienamente” (*Storia della filosofia antica. III. I sistemi dell’età ellenistica*. Milano 1993, p. 366).

<sup>3</sup> Vide *Nat. quaest.* II 45: *eundem quem nos Iovem intelligunt: custodem rectoremque universi, animum ac spiritum mundi, operis huius dominum et artificem, cui nomen omne convenit, vis illum fatum vocare, non errabis: hic est ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum; vis illum providentiam dicere, recte dices: est enim cuius consilio huic mundo providetur, ut inoffensus exeat et actus suos explicet; vis illum naturam vocare, non peccabis: hic est, ex quo nata sunt omnia, cuius spiritu vivimus; vis illum vocare mundum, non falleris: ipse enim est quod vides totum [...].* Cf. Lucani dictum ad opinionem, quae nostris temporibus pantheismus dicitur, pertinens: *Iuppiter est quodcumque vides [...]* (*Bel. civ.* IX 580).

<sup>4</sup> [*Fatum*] *existimo necessitatem rerum omnium actionumque quam nulla res rumpat* (*Nat. quaest.* II 36).

<sup>5</sup> Τύχη, quae Latine fortuna interpretatur, primum apud Hesiodum inveniri potest, Homerus autem de ea ne mentionem quidem fecit (de qua re Macrobius in *Commentario in somnium Scipionis* scribit). Constat τύχην sicut deam aetate, quae Hellenistica vocatur, magnopere cultam esse. Romani quoque Fortunam multis cognominibus ornatam decorabant. Cicero in libris *De divinatione* scripsit fortunam contrariam esse sapientiae. Re vera, illa quae a Pacuvio tragico caeca dicitur, nullam prudentiam habet. Fortuna res fortuita intellegi potest. Quasi genius quoque magnis ducibus proprius exempli gratia a C. Sallustio Crispo describitur.

<sup>6</sup> Cf. Arpinatis verba: *Quid est enim aliud fors, quid fortuna, quid casus, quid eventus, nisi cum sic aliquid cecidit, sic evenit, ut vel aliter cadere atque evenire potuerit?* (*De div.* II 6, 15).

fortuna in dignitatibus, opibus et vita, quae vulgo felices videantur, aut in eorum omnium rerum absentia manifesta est. In ea depingenda Seneca personificatione fruitur. Hoc significatione fortuna providentiae dissimilis est<sup>7</sup>: *Numquam ego fortunae credidi, etiam cum videretur pacem agere. Omnia illa, quae in me indulgentissime conferebat, pecuniam, honores, gratiam, eo loco posui, unde posset sine motu meo repetere. Intervallum inter illam et me magnum habui. Itaque abstulit illa, non avulsit* (*Ad Helv.* V, 4). Res adversae solum illum hominem debilitare possunt, qui rebus secundis deceptus sit (cf. *ibid.* V, 4—5). Libro *De providentia* vox fortunae malum colorem habet. Cum aliis locis Seneca de rebus secundis dicens eodem nomine utatur, opere de quo sermo est, res secundae ab voce felicitatis designantur.

Deinde, apud Neronis magistrum fortuna synonymum aliquorum nominum est. Horum numero voces fati, Dei, providentiae et naturae insunt; viri docti illam fortunam teleologicam appellaverunt.

Philosophus Cordubensis putat mundum mentem divinam esse; divina decreta mutari non possunt<sup>8</sup>. Tametsi divinitas nocere nescit, hominibus benigne operam dat, bene eis volens<sup>9</sup>, tamen *multa incommoda iustis viris accidunt* (*Ep.* 74, 10). Haec verba similia sunt illis, quae titulo opusculi *Quare aliqua incommoda bonis viris accidant, cum providentia sit, sive de providentia*<sup>10</sup> inscripti occurrunt. Hoc scriptum numero 10 operum, qui dialogi dicuntur, asservatum est. Saeculis X aut XI in abbatia Cassini Montis optimus atque nunc veterrimus codex, deinceps

<sup>7</sup> Vide *De beneficiis* IV, VIII 3. Cf. Augustinus, *Retractiones* I 1, 2: *verumtamen paenitet me sic illic nominasse fortunam, cum videam homines habere in pessima consuetudine, ubi dici debet: „Hoc Deus voluit”, dicere „Hoc voluit Fortuna”*. Vide quoque A. Kuc: *Dyskurs z Filozofiq w „Consolatio philosophiae” Boecjusza*. Katowice 2005, p. 112 ss.

<sup>8</sup> Quamquam Seneca Deum imprimis impersonalem ideam habebat, auctores Christiani intellexerunt philosophum similia sibi dixisse. Fama est Senecam Christi fuisse sectatorem. Probabilissimum tamen videtur Christianos a Neronis magistro esse cognitos (vide M. Sordi: „I rapporti personali di Seneca con i cristiani con Appendice di I. Ramelli, Aspetti linguistici dell’epistolario Seneca-San Paolo”. In: *Seneca e i Cristiani*. A cura di A. Martina. Milano 2001, pp. 113—127; nota bene verba, quae in epistula ad Philippenses 4, 22 legi possunt: ἀσπάζονται ὑμᾶς πάντες οἱ ἅγιοι, μάλιστα δὲ οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας). Maior natu Senecae frater, Gallio (cui, antequam ab sui patris amico adoptatus est, Marco Annaeo Novato nomen erat), proconsul Achaiae annis 51—52, Paulum e Tarso damnare noluit, dicens inter alia haec etiam: κριτῆς γάρ ἐγὼ τούτων οὐ βούλομαι εἶναι (vide *Actus Ap.* 18, 12—17). Hieronymus e Stridone, postquam *Epistolas Senecae, magistri Neronis imperatoris, ad Paulum Apostolum et Pauli ad Senecam* compositas legit, de Seneca ita scripsit: *Seneca Cordubensis, Sotionis stoici discipulus et patruus Lucani poetae, continentissimae vitae fuit; quem non ponerem in catalogo sanctorum, nisi me illae epistulae provocarent [...]. (De viris illustribus 12)*. Quo tempore re ipsa illae litterae compositae sint, nostra aetate quoque sub iudice lis est.

<sup>9</sup> Cf. L.A. Seneca: *I Dialoghi*. Vol. primo [...] a cura di G. Viansino. Oscar Mondadori, p. 13.

<sup>10</sup> Cf. Boëthius, *Consolatio philosophiae* I 4, 96: *siquidem Deus [...] est, unde mala? bona vero unde, si non est?*

Ambrosianus vocatus, compositus est, quo codice haec scripta inveniri possunt<sup>11</sup>. Libro de providentia Seneca unam quaestionem cum ea coniunctam ponit, scilicet difficile intellectu problema mali, quod mundo a bono Deo<sup>12</sup> administrato observare possumus; difficillimum intellectu est illud malum in vita hominum bonorum. Primus mundo Graeco de providentia Plato scripsit, sed iam pristinis mythis de potestate Iovis et Moirae (vel Moirarum) decretis sermo est. Quam maximi momenti providentia in Stoicorum sapientia fuerit, ex Minucii Felicis verbis cognosci potest: *Zenon et Chrysippus et Cleanthes sunt ipsi multiformes, sed ad unitatem providentiae omnes revolvuntur* (Octavius 19, 10). Multi Zenonis sectatores opera Περὶ προνοίας composuerunt, quae Senecae ignota non fuerunt. Hi philosophi Stoeae, quae vetus et deinde media vocatur, providentiam mundo insitam esse putabant<sup>13</sup>. Sed exceptionem addere debemus: nam Cleanthes hymnum in Iovem composuit, quo carmine Iuppiter in modum personae introductus est. Seneca similiter dialogo *De providentia* Deum depingit.

Quod opusculum intra annum 62—65 compositum esse putatur, Seneca a palatio Neronis amoto. Petrus Grimal dicit librum vere et aestate anni 63 esse scriptum<sup>14</sup>. G. Viansino animadvertit, ut numero dialogorum sola de providentia disputatione Maecenatis mentio facta sit. De hoc Octavianici amico saepissime Seneca opere *De beneficiis* et in *Epistulis moralibus* narrat, quare ille vir doctus putat tria illa opera fere eodem tempore esse composita. N. Terzaghi quoque opinionem protulit Senecam senem ad opusculum de providentia scribendum se applicavit<sup>15</sup>. Cuius rei testimonium possit esse passus e libris *Naturalium quaestionum*, quae compositae sunt, cum Seneca a Nerone recessisset. Ad Lucilium ita scribit: „*At quare Iuppiter aut ferienda transit aut innoxia ferit?*” *In maiorem me quaestionem vocas, cui suus dies suus locus dandus* (*Nat quaest.* II 46). His verbis philosophus opus novum de rebus, quae libro de providentia tractantur, pronuntiare videtur<sup>16</sup>. Scimus Senecam operi magno de providentia studuisse. Opere tamen infec-

<sup>11</sup> De ea re L. Joachimowicz in praefatione Senecae operum a se in linguam Polonam translatis mentionem brevem facit (L.A. Seneca: *Dialogi*. Warszawa 1989). Si plura de codicibus Senecanis in Bibliotheca Ambrosiana Mediolani scire velis, opusculum M. Navoni *Seneca all'Ambrosiana* (in: *Seneca e i Cristiani*, pp. 159—237) lege.

<sup>12</sup> Cf. *De ira* II, 27 1 s: *Quaedam sunt quae nocere non possunt nullamque vim nisi beneficam et salutarem habent, ut di immortales, qui nec volunt obesse nec possunt; natura enim illis mitis et placida est, tam longe remota ab aliena iniuria quam a sua.*

<sup>13</sup> G. Reale tradit de modo quo Stoici providentiam intellexerunt: *una Providenza immanente e non trascendente* (G. Reale: *Storia della filosofia...*, p. 370). Vox providentiae cum voce prudentiae coniungitur et habitum (ἐξίτη) designare potest. Macrobius in *Commentario in somnium Scipionis* scribit: *prudentiae insunt ratio, intellectus, circumspectio, providentia, docilitas, cautio* (*Comm.* 1, 8, 7).

<sup>14</sup> P. Grimal: *Seneka*. In linguam Polonam transtulit J.R. Kaczyński. Warszawa 1994, p. 390.

<sup>15</sup> N. Terzaghi: *Storia della letteratura latina da Tiberio a Giustiniano*. Milano 1949, p. 87.

<sup>16</sup> Vide I. Lana: *Lucio Anneo Seneca*. Torino 1955, p. 143. Hic auctor locos similes *De constantia sapientis* operi monstrat, scilicet: longa exordia; Catonis et Socratis laudatio; opinio improbos

to auctor mortuus est<sup>17</sup>. Falli potest, qui putat Senecae opera dialogorum nomine inscripta eodem modo, quo Platonis et Aristotelis dialogi esse composita. Potius eos monologos appelles, nam disputator haec dicit, quae altera pars audire velit, ut auctor facilius respondere possit. Ei diatribae a Cynicis et Stoicis compositae, quam deinde Marcus Aurelius suscepit, viciniore sunt.

Scimus opusculum *De providentia* a Seneca ad Caium Lucilium Minorem esse scriptum<sup>18</sup>. Qui circa annum 62 procurator Siciliae fuit. Lucilius adulescens animo amico in Epicureos erat. Nunc tamen discipulus Senecae fuisse videtur et cum philosopho multum ac familiariter egisse. Liber in sex capita dividitur. Lucilius speciem sermonis quaerere videtur, nam opusculi auctor cum se ipso imprimis loquitur<sup>19</sup>, quae figura sententiarum subiectio vocatur.

In capite primo Seneca rem dilucidat: *quaesisti a me, Lucili, quid ita, si providentia mundus ageretur; multa bonis viris mala accidere* (*De prov.* I 1)<sup>20</sup>. Auctor de vita cotidiana scribere vult, ideo voce incommodorum opusculum titulo instruens utitur. Nota bene dictionem *bonis viris*. Seneca non de calamitatibus, quae Stoico sapienti accidant, sed de eis, quae contingant hominibus *quibus recta placuerunt* (*De prov.* VI 3) disputat. Dictio *vir bonus* et ei similes<sup>21</sup> cum ea, quae Seneca de se ipso opinabatur, comparari possunt. Philosophus se ipsum virum bonum, quem providentia temptat, habet.

Prima opusculi sententia, quam supra attulimus, philosophus scribit mundum agi a providentia<sup>22</sup>. Ex quo sequitur Lucilium in providentiam credidisse putandum esse. Quod Seneca ipse probat: *tu non dubitas de providentia, sed quaeris* (*De*

bonis nil mali facere posse. I. Lana coniecit opusculum *De providentia* eodem tempore quo ad Serenum scriptum vel paulo ante esse compositum. Hic vir doctus Senecam exulem in Corsica *De providentiam* librum scripsisse dicit.

<sup>17</sup> Vide *De prov.* I, 1; 4. Sunt viri docti, qui putent tragoediam *Hercules Oeteus* inscriptam exemplo *De providentia* libro fuisse. Nonnulli tamen dicunt eam esse spuriam. Seneca *De remediis fortuitorum* opus etiam scripsit.

<sup>18</sup> Constat philosophum Cordubensem ad Lucilium quoque libros *Naturalium quaestionum* et *Epistularum moralium* scripsisse. Fuerunt viri docti, qui poema *Aetna* inscripta a Lucilio compositum esse contenderent. Polonici versionis illius carminis auctor dicit *Aetnam* ab incerto auctore esse scriptam.

<sup>19</sup> Cf. *Premessa*. In: L.A. Seneca: *I Dialoghi*. Vol. Primo. A cura di G. Viansino. Oscar Mondonari, p. 8.

<sup>20</sup> Fragmenta *De providentia* libri ex hac editione refero: L. Annaei Senecae Opera quae supersunt. Recognovit et rerum indicem locupletissimum adiecit Fridericus Haase, prof. Vratislav. Vol. I, Lipsiae, Teubner 1871.

<sup>21</sup> Synonyma dicto *vir bonus* opusculo haec sunt: *vir fortis, magnus vir, optimus quisque, generosus spiritus, fortissimus vir, vir cum cura dicendus*. Cf. I. Lana: *Lucio Anneo Seneca...*, p. 138 et T. Sinko: *De Romanorum viro bono*. Cracoviae 1903. Apud Macrobius legimus: *his virtutibus [sc. prudentia, fortitudine, temperantia, iustitia — annotatio auctoris] vir bonus primum sui atque inde rei publicae rector efficitur, iuste ac provide gubernans, humana non deserens* (*Comm. in somnium Scipionis* 1. 8, 8).

<sup>22</sup> Verbum *agere* hoc loco idem, quod *regere* designat; cf.: *Epist.* 71, 12: *deo agente ducatur; Oed.* 980: *Fatis agimur, cedite fatis*. Vide quoque B.A. Nauta: *Annotatio in L.A. Senecae librum de providentia*. Lugduni Batavorum 1828.

*prov.* I 5)<sup>23</sup>. Ea de quibus agitur sola particula e toto, Seneca teste, est. Inde ab Leibniz haec theodicea vocatur. Adversari tamen videtur malum mundo inesse et *aliquem custodem* (cf. *De prov.* I 2), Graece σκοπόν, regere. Seneca in providentia describenda nova elementa introducit. Providentia adeo humanis qualitatibus instruitur, ut persona vera et non idea vana esse videatur<sup>24</sup>. Seneca Cleanthis vestigia premere videtur. Primo in capite legimus: *praeesse universis providentiam et interesse nobis deum* (ibid. I 1). Divinitas non solum cuncta regit, sed etiam cum singulis est. Neronis magister aliter ac alii Romani providentiam depingit, nam praecipue personalem naturam divinitatis exponit. Hoc modo scribit: *Scire, illos esse, qui praesident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutela gerunt, interdum curiosi singulorum* (*Epist.* 95, 50). Deus ipse hominibus consulit, *ubique et omnibus presto est*.

Seneca partes oratoris et mediatoris agit, qui re vera *pro domo sua* tractat. Qui profitetur: *faciam rem non difficilem, causam deorum agam* (*De prov.* I 2) et *in gratiam te reducam cum dis* (I 5). Philosophus inconsultius rem tractandam facilem vocat, qua identidem multi vexati sunt. Ea est res immensi operis, quam ne Hieronymus (vide illius 123, 16—17 *Epistulam*) quidem aliique viri docti solvere potuerint. Cavendum est ne simplicia responsa dentur. Sed ad opusculum redeamus. Mirari potes, cur voces *deus, dei, providentia* simul comparatae sint. Parum probabile videtur Senecam cultorem multorum deum fuisse. Procul dubio in deos, ut ita dicam, populares non credidit. Fortasse sidera deos nominabat vel aliquos δαίμονες, summo Deo servientes, confitebatur.

Quamvis Seneca dicat opus non esse ut existentia providentiae confirmetur, exempla e natura ad providentiam affirmandam (*interesse nobis deum*, I 1) profert. Quod praeteritio dici potest, qua re argumenta fortiora sunt. Hoc loco philosophus de omnium rerum proprio ordine, aeterna lege, qua mundus temperatur, et communi causalitate dicit. Ea scribens cum Horto certare videtur.

Boni homines cum dis vinculo non solum amicitiae<sup>25</sup>, sed etiam similitudinis et consanguinitatis coniuncti sunt. Deus tamquam *parens magnificus* introducitur,

<sup>23</sup> Alii (e.g. E. Hermes, L.D. Reynolds) hoc loco tamen *quereris* legunt.

<sup>24</sup> Apud Ciceronem (*De nat. deorum* 29, 73 s) Balbus Stoicorum placita referens vetat has opiniones de providentia a Velleio Epicureo deformari. Horti philosophus providentiam quasi senem deam depingere vetatur. Hoc fragmento ea, quae risum lectori movent, distinguere possunt. Dicimus de repetitionibus, figuris imperativi II et nominibus *sal, inrideo*. Balbus mundum a *providentia deorum* (ergo vi impersonali) regi affirmat. Viri docti accuratius vocem personae (Graecae πρόσωπον) definiverunt, cum de Trinitate controversiones essent ortae. Boëthius putavit vocem personae Graecae ὑπόστασιν reddi. In libro *Contra Eutychen et Nestorium* III 4 ita de persona scripsit: *naturae rationalis individua substantia*. Nostris temporibus varias definitiones illius nominis in unum congregavit opusculo suo L. Zagzebski ("The Uniqueness of Persons". *Journal of Religious Ethics* 2001, 29/3, p. 401—423).

<sup>25</sup> Nobile est quod Sallustius scripsit: *idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est* (*Cat.* 20, 4, cf. Seneca, *Ep.* 20, 5). Cicero putavit amicitiam esse omnium divinarum humanarumque rerum cum benivolentia et caritate consensionem (*Lael.* 6, 20).

qui prolem suam, scilicet bonos viros, severe educat. Stoicus Deum in speciem hominis depingit, nam cum patribus familias eum comparat. Quod Romanis praecipue cordi sit. E Senecae disputatione tamen non discimus quam ob rem Deus ita hominibus utatur. Conicere possumus Deum velle, ut mortale genus ei simile fiat, qua re virtutem assequi et Dei conviva esse possit<sup>26</sup>.

Initio capituli secundi Seneca denuo quaestionem ponit *Quare multa bonis viris adversa eveniunt?* (*De prov.* II 1). Hic *adversa* et *mala* idem sunt. Si philosophum intelligere vis, omnia, quae tibi mira videantur, vera accipere debes. Seneca respondit paradoxis Stoicis Cynicisque communibus utens: *Nihil accidere bono viro mali potest*. Hoc quoque loco Neronis priscus magister de sapienti Stoico tacet<sup>27</sup>. Vir bonus calamitatibus afficitur, sed fortior quam haec est. Seneca exemplaria dare solet, ut placita sua claritudinem, illustrationem (Graece ἐνάργειαν) habeant. Huic exemplo athletae conflagantes sunt, quorum certamina figura est vitae a bonis actae. De fato, qui hoc loco sortem, Graece μοῖραν vocatam, designat, queri nolit (*De prov.* II 4). Denuo auctor Deum in personae speciem depingit, scribens patrium animum in bonos haberi a divinitate<sup>28</sup>. Aliter Deus hominibus utitur ac molles matres. Seneca putat ullum ictum ab inlaesa felicitate non ferri<sup>29</sup>. Boni viri cum mala fortuna certantes spectaculum deis et denique uni Deo dignum sunt. Deus ideo spectatorem hoc loco nobis se ostendere videtur<sup>30</sup>. Sed apud Senecam est *intentus operi suo* (*De prov.* II 9). Haec res inde a Platone originem ducens, *theatrum mundi* vocatur<sup>31</sup>.

Sequenti parte capituli secundi Seneca primum Catonem Uticensem laudat<sup>32</sup>; sed totum scriptum ἔπαινος proborum esse videtur. Catonis censoris progenies re vera vitiis non carebat<sup>33</sup>. Opusculi auctor tamen putat illum dignum esse, ut ab ipso

<sup>26</sup> Cf. B.A. Nauta: *Annotatio...*, p. 20.

<sup>27</sup> Sed elementa e Stoicorum doctrina hausta hic distinguere possumus. Vir bonus (alias sapiens) perturbationibus animi, naturae contrariis, non movetur.

<sup>28</sup> Nota bene, qualem rem Agamemnon filiae suae, Iphigeniae (Iphianassae apud Homerum, *Ilias* IX et apud Lucretium, *De rerum natura* I) fecit.

<sup>29</sup> *De prov.* II, 6; cf. *Ad Helviam matrem* II, 3: *Fleant itaque diutius et gemant, quorum delicatas mentes enarvavit longa felicitas et ad levissimarum iniuriarum motus conlabantur: at quorum omnes anni per calamitates transierunt, gravissima quoque forti et immobili constantia perferant.*

<sup>30</sup> Similiter: de spectatore et non actore praecipue aetate, quae illuminatio est vocata, philosophi scribent.

<sup>31</sup> De qua re plura legere potes apud J. Kotarska: „Topos *theatrum mundi* w poezji przełomu XVI i XVII wieku”. W: *Przełom wieków XVI i XVII w literaturze i kulturze polskiej*. Red. B. Otwinowska, J. Pelc. Wrocław 1984, p. 145—169. Cf. Minutius Felix, *Octavius* 37, 1: *Quam pulchrum spectaculum deo, cum Christianus cum dolore congregitur, cum adversum minas et supplicia et tormenta componitur* [...].

<sup>32</sup> *Libro De providentia* de Catone octies sermo est: II, 9—12; III, 4, 14, sed hic numquam *sapiens* nominatur. Seneca non nescius fuit verum sapientem perraro nasci, semel in 500 annos. Qua re Phoenici similis est.

<sup>33</sup> Metellus Scipio libello in Catonem Uticensem invectus est, quo ei furta obiecit. Caesar suis *Anticatonibus* iam mortuum adversarium ultus est. De *Vita Catonis*, quam Plutarchus scripsit, Ada-



Iove<sup>34</sup> spectetur. Seneca vult, ut oratio a Catone habita plena virium sit<sup>35</sup>. Nam cum animo suo Cato ita loquitur: *eripe te rebus humanis* (*De prov.* II 10). Caesari inimicus se posse liberum esse, si ferro uteretur, sensit; rei publicae nil prodesse posse. Cato etiam animam efflans a deis temptabatur. Dei ludos sibi fecisse videntur, cuius rei tamen Seneca mentionem non fecit vel facere non vult<sup>36</sup>. Vix cum Seneca deos spectantes defendente consentire possumus. Priscus Neronis magister dicit, ut providentiae ratione inest possibilitas Catonis vivendi et moriendi<sup>37</sup>. Seneca suis scriptis contendit vitam praeparationem mortis esse. Quae tamen philosopho in novam vitam non inducere videtur. Vir doctus Georgius Williams putat Lucani patrum procul hominibus esse ideoque de morte persaepe meditari<sup>38</sup>. Non falleremur, si dicemus, cur Cato in opusculum introductus sit. Caesaris adversarius vixit aetate, quae Senecae temporibus similis erat. Italo Lana scribit: *E chiaro che Catone è il modello di Seneca*<sup>39</sup>.

Initio tertii capituli Seneca sententias, quas defensurus est, dicit. Quamquam haec omnes paradoxa sunt, tamen nil mirandum est, nam Seneca non solum e Stoicorum, sed etiam Cynicorum sapientia hausit. Haec expositio materiei capituli dici potest. Philosophus id agit, ut Lucilius alique lectores putent re ipsa incommoda mala non esse. Quamvis hoc loco dicat universorum maiorem dis curam quam singulorum esse (*De prov.* III 1), tamen amorem atque curam divinitatis erga bonos non negat. Seneca implicate animadvertit aliam esse felicitatem veram, aliam eam, quae haec dicitur. Priusquam priscus Horti amator quaerere ab Seneca aliquid possit, hic ipse rogabit: *Pro ipsis est, inquis, in exilium proici, in egestatem deduci liberos, coniugem ecferre, ignominia adfici, debilitari?* (*De prov.* III, 2; cf. *ibid.* VI, 2). Hic ad Annei vitam pertinentia distinguere possumus. Seneca in exilium eiectus et opibus spoliatus est; filiolum XX diebus ante amisit. Morte uxoris et exsul calumniis affectus est. Saepe in morbos cadebat<sup>40</sup>. Omnia illa tamen bono evenire, similiter sectionibus medicorum, Seneca

---

mus Mickiewicz mentionem fecit. Qui putat Catonem esse exemplo omnibus, qui libertati studeant (vide Polonicum epos *Pan Tadeusz* I 57 ss.).

<sup>34</sup> Scilicet hoc loco non de Iove ab poëtis pincto agitur.

<sup>35</sup> Cf. Lucanus, *Bellum civ.* IX, 402b—410: „[...] *serpens, sitis, ardor harenae / dulcia virtuti; gaudet patientia duris; / laetius est, quotiens magno sibi constat, honestum. / sola potest Libye turba praestare malorum, / ut deceat fugisse viros*”. *sic ille* [sc. Cato, ann. auctoris] *paventis / incendit virtute animos et amore laborum, / inreducemque viam deserto limite carpit; / et sacrum parvo nomen clausura sepulchro / invasit Libye securi fata Catonis*. Vide quoque: S. Śnieżewski: *Wojna, pokój i bogowie w starożytnym Rzymie*. Kraków 2006.

<sup>36</sup> Cf. notissima Lucani verba: *Victrix causa deis placuit, sed victa Catoni* (*Bel. civ.* I 128). S. Śnieżewski exponit: „W okresie cesarstwa rozpowszechniło się [...] przekonanie, że bogowie postępują z ludźmi nieuczciwie, gdyż nie udzielają im *felicitas* zgodnie z poczuciem sprawiedliwości” (*Salustiusz i historia Rzymu. Studia porównawcze na tle historiografii greckiej i rzymskiej*. Kraków 2003, p. 41).

<sup>37</sup> Vide J.M. Rist: *Stoic Philosophy*, Cambridge 1969, p. 246.

<sup>38</sup> Vide G. Williams: *Change and Decline. Roman Literature in the Early Empire*. University of California Press, 1978, p. 177.

<sup>39</sup> I. Lana: *Lucio Anneo Seneca...*, p. 139.

<sup>40</sup> Vide *ibidem*, p. 135.

contendit. Quam ad rem confirmandam Demetrii Cynici opinio refertur. Hic olim opinatus est infelicissimum esse cui nihil umquam evenisset adversi. Si quidam ab acerba fortuna premitur, procul dubio virtute insignis est, nam fortuna viros fortes ad pugnandum eligit. *Magnum exemplum nisi mala fortuna non invenit* (*De prov.* III 5). Seneca proceres Romanorum atque Socratem philosophum felicissimos appellat, ut magnis doloribus affecti sint<sup>41</sup>. Hoc loco gradatione philosophus usus esse videtur, nam primum ignis, deinde paupertas, exilium, tormenta, tandem mors enumerantur. In proborum Romanorum numero hi sunt: Mucius Scaevola, qui coram Porsenna ultro dextram suam accenso foculo incit<sup>42</sup>; Gaius Fabricius omnibus virtutibus praeditus; Rutilius Rufus, in exilium iniuste pulsus, quod pecunias in provinciis repetivit; Marcus Atilius Regulus, qui ius iurandum etiam Carthaginensibus datum servavit; denique Cato Uticensis<sup>43</sup>. Rutilium Rufum animadvertas velimus, *l'uomo giusto ingiustamente condannato dai malvagi*<sup>44</sup>. Philosophus clarissimus<sup>45</sup> procul dubio cum hominibus supra nominatis, praecipue Rutilio et Catone, se comparat. Hoc modo suos labores bonorum morum pignora esse demonstrat et eos compensat. Seneca Maecenatem non esse imitandum putat<sup>46</sup>. Qui dives amatoris doloribus mersus Rutilio opponitur. Non est dubium, quin Catoni fuerit sors tragica. A natura (hic scilicet Deo) Cato electus est: *toto terrarum orbe pro causa bona tam infeliciter quam pretinaciter militet* (*De prov.* III, 14)<sup>47</sup>.

Capite quarto Seneca monstrare vult, ut rebus adversis virtus augeatur. Cui una occasio crescendi in calamitatibus fortiter ferendis posita est. Malum est felicem semper esse. *Calamitates terroresque* (*De prov.* IV 1), de quibus Stoicus disputat, scrutinia probitatis illi, qui vir bonus dicitur, sunt. Quin etiam nonnumquam hic incommodis gaudet. Quos Deus ex hominibus honestissimos facere vult (*ipsis ... deus consulit*, IV 5), his rerum difficultati non parcat. Mirum est, quod legi potest:

<sup>41</sup> Cf. Plato, *Gorgias*, 470 XXVI E, Boëthius, *Cons. phil.* IV 4, 49.

<sup>42</sup> Vide Livius, *Ab Urbe condita* II, 12.

<sup>43</sup> Cf. *Ad Helviam matrem* XIII, 7: *Ducebatur Athenis ad supplicium Aristides, cui quisquis occurrerat, deieciebat oculos et ingemiscebat, non tamquam in hominem iustum sed tamquam in ipsam iustitiam animadverteretur.*

<sup>44</sup> I. Lana: *Lucio Anneo Seneca...*, p. 137. Inimici hunc Stoaë philosophum, eundem proconsulem Asiae ultii sunt. Anno 91 a. Chr. n. Rutilius in exilium eiectus est. Quamquam Sulla eum Romam revocavit, hic redire noluit. [*Philosophiae studiosus*] *exilium vanum nomen putat et ait „quid enim est mali mutare regiones?“* (*De vita beata* XXI, 1). *Ad Helviam* scribens Seneca dicit exilium nil mali esse, sed *loci commutationem*. Quibus de verbis ipse negat, nam exsul conditioni suae ingemescebat et deinde *Ludum de morte Claudii* scripsit. Qua satira Menippea mordacem se praebuit. Fortasse putabat sortem suam illae Ovidianae (cuius *Metamorphoses* libro *De providentia* affert) aut Ciceronianae esse similem.

<sup>45</sup> Ita Johannes Calvinus, qui adhuc Romanam fidem confitebatur, de Seneca in editione sua eius scriptorum dixit (vide M. von Albrecht: *Momenti della presenza di Seneca nella tradizione cristiana*. In: *Seneca e i Cristiani...*, p. 5).

<sup>46</sup> Vide Seneca, *Epist.* 101, 10 et 114, 4.

<sup>47</sup> Bellis iniustus (nam etiam *bella iusta* esse putantur, cf. Stanislaus de Scarbimiria, *De bellis iustis*) Pompeius Caesarque vincebant.

res adversae documentum divinae amoris sunt, nam *hos itaque deus quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet* (*De prov.* IV 7)<sup>48</sup>. Apud Senecam Deus magister idem strategus bonus esse videtur. Qui tantis molibus patientes eligit. Dii praeceptores nominantur, nam in bonis habent rationem eandem, quam in discipulis magistri, scilicet *plus laboris ab iis exigunt, in quibus certior spes est* (IV 11). Hic illa providentia claret. Ut opiniones suae confirmentur, philosophus e Spartanis moribus exemplum haurit. Scimus in Sparta iuvenes verberibus caesos esse, ut virtus probaretur<sup>49</sup>. Ex quo non sequitur, ut patres suos liberos non ament. Seneca tamen de fine illius probamenti, scilicet de multorum morte, silet. Neronis priscus magister voce *temptat* utitur, cum de Dei in bonos animo, et vocibus *verberat* atque *lacerat*, cum de fortunae animo scribit. Passu IV 12 edocemur libro *De providentia* fortunam variam providentiae et huic esse subiectam<sup>50</sup>. Id, quod divinitas agit, *temptationes* esse videntur. Una sola solutio est: *patiamur*. Quod idem *praebere se fato* (V 8) est. Hoc Senecae praeceptum hortatio ad ignaviam esse videtur. Ex altera parte de sedula Deo oboedientia agitur. Quid aliud id est, quam fati decreto stare et naturam sequi? Secundum naturam vivit, qui ultro eligere non solum potest, sed etiam debet. Seneca nil miratur bonos malo affici. Quod legere eo libro possumus. Philosophus Cordubensis ad Lucilium loquens sibi ipsi persuadere videtur. Scribit: *quid miraris bonos viros, ut confirmentur concuti?* (IV 15—16). Notandum est, ut Seneca nullo scripti loco de Deo vel sorte queratur. Ne sinat quidem aliquem queri posse. Fortasse re vera philosophus primum exsul et deinde Neroni iam ingratus aliter putavit.

Capitis quinti initio Seneca opinionem profert pro universis labores a bonis suscipi. Quorum vita in militando sumitur<sup>51</sup>. Philosophus de οἰκείωσει, hominum deumque unitate, putavisse videtur. Mala, quae bonis accidunt, non sunt mala, nam

<sup>48</sup> Cf. *Qui bene amat, bene castigat* et Hbr 12, 6—11.

<sup>49</sup> In Sparta quosdam mores castigandos fuisse constat, dicimus de liberis aegris in Taegeto occidentis. Quam ob rem nostris temporibus dicto *philosophia Taegetea* utuntur ii, qui obviam his et similibus Spartanis moribus eunt.

<sup>50</sup> Boëthius quoque negabat fortunam aliquid sua vi posse. Libris *De consolatione philosophiae* fortunae nomini multae significationes insunt, sed imprimis de facto Dei voluntatem, qua vita hominibus varie manifestatur, auctor ita designat. Similiter in scriptis Procopianis, de qua re legere potes apud D. Brodka: *Die Geschichtsphilosophie in der spätantiken Historiographie. Studien zu Prokopios von Kaisareia, Agathias von Myrina und Theophylaktos Simokattes*. Frankfurt am Main 2004. Anicius fere ita disputat: nonnumquam sentire non possumus, qua re alii felicitate (fortunae prosperae dono) gaudeant, alii mala fortuna afficiantur. In generis humani vita multa sine causa evenire improvisa ac necopinata videntur, quod vulgo casus vocatur. Boëthius tamen negat casum aliquem esse, nisi Aristotelis et Platoniorum casus definitio accipiatur. Opere suo id potissimum agit, ut homines putent Deo curam de omnibus esse. Dicit *perpetuam rationem* (vide *Consolatio phil.* III m. 9, 1; IV 6, 30 et cf. J. Cochanovius, *O żywocie ludzkim* I 101, 1) esse, qua *rector*, bonum—persona, mundum gubernat (vide *Consolatio phil.* III m. 6, 2; III 12, 59 n).

<sup>51</sup> Cf. *Epist.* 96, 5: *Atqui vivere, mi Lucili, militare est. itaque hi, qui iactantur, et per operosa atque ardua sursum atque deorsum eunt et expeditiones periculosissimas obeunt, fortes viri sunt primoresque castrorum*. Initio capitis quinti semel libro *De providentia* sapiens nominatur.

improbi quoque eis afficiuntur. Vera mala enim solis improbis disponuntur, vera bona probis. Oratione procedenti de iustitia in mundo instar rei publicae concepto Seneca dicit. *At iniquum est bonum virum debilitari aut constringi aut adligari, malos integris corporibus solutos ac delicatos incedere* (*De prov.* V 3). Bonorum numero milites, piae virgines et patres conscripti habentur. His laborantibus vilissimus quisque socordia otium conterit. Sed bonos quidem de rerum natura bene iudicare philosophus putat. Onera suscipiunt *volentes quidem, non trahuntur a fortuna, sequuntur illam et aequant gradus. Si scissent, antecessissent* (ibid. V 4)<sup>52</sup>. Seneca re ipsa de paucis dicere videtur. Quorum numero Demetrius supra nominatus fuit. Hic deis omnia reddere potis fuit et iis adsensus est. Seneca Stoicus universa determinata esse contendit (cf. V 6: *certa et in aeternum dicta lege*; V 8: *inrevocabilis ... cursus*), ergo re vera casum esse negat. *Causa pendet ex causa*, omnibus rebus tempus est datum, sed sine hominis aliqua participatione<sup>53</sup>. Nil opus est indignari vel queri. Hominibus, naturae particulis, nihil perit de suis rebus; hi omnia sua secum portare videntur. Vita, mors, di alicui rei subiecti sunt, quam rem Seneca explicite definire nescit. Cuius rei necessitas etiam deos adligat. *Omnium conditor et rector quoque fatis* a se scriptis paret. Hoc loco *fata* immutabiles sortes hominum, quibus unum *fatum* manifestetur, significant. Ea, quae sunt naturae impossibilia, Deo possibilia non sunt. Haec est Senecae opinio. Quae cum ita sint, Seneca scribit: *deus tam iniquus in distributione fati fuit, ut bonis viris paupertatem et volnera et acerba funera adscriberet* (V 9). Philosophus clarissimus allegoria utitur de Phaetonte<sup>54</sup> mentionem faciens. Nasonis *Metamorphoses* (II 63 ss)<sup>55</sup> refert. Memoria dignum est, ut Seneca Phaetontem, qui insubordinatum vel improvisum se praebuit, laudet. Cuius facinus ὕβρις nominari potest et finis laetus non fuit. Philosophus Cordubensis persuadet hominibus, ut per alta eant.

Sextum caput ab paraphrase tituli, quo opusculum instructum est, incipit: *Quare tamen bonis viris patitur aliquid mali deus fieri?* (VI 1). Philosophus negat hoc verum esse. Sed non nescit etiam innocentes concuti rebus adversis. Quae difficultas ut tollatur, Seneca dicit vera mala esse *scelera*, et *flagitia*, cogitationes improbas *avida consilia*, *libidinem caecam* et *alieno imminentem avaritiam*. Quibus a rebus boni ex definitione procul sunt. Malum apud Senecam re ipsa solum est improbitas. Inconsulti animi ista definitio esse videtur. Paulo longius (VI 6) philosophus tamen concedet bonos *tristibus, horrendis, duris toleratu* subductos esse. Ne Leibniz qui-

<sup>52</sup> Cf. Epist. 107, 11: *ducunt volentem fata, nolentem trahunt*.

<sup>53</sup> Acerbum est illud Senecanum placitum, similiter acerbum Epicureorum de caeca ratione opinio. In ambobus rebus modus adhibendus esse videtur.

<sup>54</sup> *Seneca, che [...] non accetta la pratica stoica di allegorizzare il mito [...], dà interpretazioni alegoriche solo delle Danaidi (dial. 10, 10, 5) e di Fetonte [...]. Ma Fetonte, «magnanimo» (= μεγάρθυρος; Lucrezio 5, 400) [...] è un fantasma che accompagna Seneca fin dai tempi in cui scrive il dialogo VII (cap. 20, 5 = Ovidio, met. 2, 328) ed il dialogo IX (cap. 17, 11) (Premessa in: L.A. Seneca: Dialoghi..., p. 18).*

<sup>55</sup> Cf. Vergilius, *Georgica* I 121—124.

dem negabat malum non solum peccatum, sed etiam esse infirmitatem et dolorem. Oratione procedenti Seneca prosopopoeia utitur (ad Lucilium scribens: *puta itaque deum dicere*, VI 3), nam Deus Stoicorum modo personae loquitur<sup>56</sup>. Hoc loco Deus donatorem verae felicitatis se praebet. Bonis falsa felicitate (i.e. splendore) spoliatis fortiter ferrenda incommoda sunt. Quibus ipsum Deum antecedere possunt. Paupertas, mors<sup>57</sup> et fortuna contemnendae sunt. Seneca haec quoque verba Deo imputat: *si pugnare non vultis, licet fugere* (VI 7). Oratione habita a Deo humana forma exornato opusculum finitur.

Quod a Seneca infectum esse videtur. Altera ex parte probabile videtur Senecam voluisse, ut lectores illo scripto commoti essent. Recte dixerit quispiam id, quod philosophus praecipit capite ultimo, contrarium esse ad pugnandum et *fato* oboediendum hortationi.

Ad finem haec res spectat, ergo denuo placita Senecana, quae ad sortem humanam et providentiam illo libro pertinent, referamus ac conclusiones monstremus. P. Grimal dicit paraenesin semper ab auctore ad se ipsum esse scriptam<sup>58</sup>. Seneca cum Nerone in gratia non manens solacio se levat. Philosophus clarissimus dicit mundum certa lege gubernari. Haec lex vel fatum vel Deus vel providentia nominari potest<sup>59</sup>. Voce fati usus Seneca immutabilitatem λόγου exponere vult (cf. *De prov.* V 7). Cuius vox numero singulari ac plurali determinatas vices vitae humanae designari potest (vide III 11). Fortuna eo libro alia ac providentia est. Illa vis animata, plerumque homini inimica est, qua providentia utitur, ut bonos etiam meliores fiant. Providentia bonis viris consulit, quamquam res adversas ab eis non removet. Vera enim felicitas ipsis hominibus inest. Apud Senecam legi potest Deum ad homines probandos demittere mala. Quorum numero Cato Uticensis habetur. Cato iustus putabatur; sed di rei publicae defensorem a malis non defenderunt. Seneca opusculo *De providentia* similiter Cleanthi Deum depingit. Apud philosophum Deus custos (*De prov.* I, 2), pater severus et amans (ibid. I, 5—6; II, 5—6; IV, 11), dux (ibid. IV, 8) putatur. Neronis priscus magister aliter ac multi veteres auctores providentiam introducit. Sane dignum est quod memoremus Philonem Alexandrinum, qui *Περί προνοίας* quoque scripsit, a Seneca esse notum posse<sup>60</sup>.

<sup>56</sup> Boëthius Senecam et alios secutus est, cum in libro *De consolatione philosophiae* II fortunam loquentem introduxit.

<sup>57</sup> Senecae animum vagum cognoscere possumus: *contemnite mortem: quae vos aut finit aut transfert* (*De prov.* VI 6). Cf. *Epist.* 65, 2: *Mors quid est? Aut finis aut transitus*. De morte Cicero scribit in *Tusc.* 2, 2.

<sup>58</sup> Grimal, ibidem, p. 160.

<sup>59</sup> Vox fortunae idem ac fatum (cuius alia nomina sunt μοῖρα, εἰμαρμένη, πρόνοια) apud varios auctores aliisque Senecae scriptis significare potest. De qua re S. Śnieżewski scribit in libro *Koncepcja historii rzymskiej w Ab Urbe Condita Liwiusza. Aspekt filozoficzno-polityczny* inscripto. Kraków 2000, p. 39.

<sup>60</sup> Constat Senecam intra annos circa 26—31 fuisse in Aegypto. De similibus locis inter Senecam et Philonem scribit Eckard Lefevre in dissertatione (*II De providentia di Seneca e il suo rapporto con il pensiero cristiano*), libro *Seneca e i Cristiani* sita, pp. 55—71.

Seneca cum Epicuro variat, cum hic providentiam negat. Stoicus dicit mundum agi et regi a summo Deo, qui interest hominibus. Aliorsum ad Lucilium scribit: *prope est a te deus, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili: sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos; hic prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vero vir sine deo nemo est: an potest aliquis supra fortunam nisi ab illo adiutus exsurgere? Ille dat consilia magnifica et erecta. In unoquoque virorum bonorum (quis deus incertum est)<sup>61</sup> habitat deus* (Ep. 41, 15). Quae opiniones non solum Socratis aut Platonicorum de daemone placitis similes sunt, sed etiam Christianae doctrinae de Spiritu. Quam ob rem nonnulli putant philosophiam Senecanam elementum *praeparationis evangelicae*<sup>62</sup> fuisse. Sed non est nunc in hanc disputationem transeundum, nam ea res magni momenti plura verba petit.

---

<sup>61</sup> Cf. carmen a N. Sęp Szarzyński, Polonico poeta, scriptum, *Pieśń I. O Bożej opatrności na świecie*, 9—12.

<sup>62</sup> Si de ea ratione legere vis, cape, quaeso, opusculum a J. Domański compositum, „»Scholastyczne i »humanistyczne« pojęcie filozofii”. W: „Studia Mediewistyczne” 19. T. 1. Wrocław—Warszawa—Kraków—Gdańsk 1978. Anno 2005 haec dissertatio liber edita est.